

naturaliter, licet moraliter bona si anteedant gratiam & caritatem, atque adeo non fiant ex ejus imperio, sunt inferioris ordinis ad ipsam, subindeque improporcionata: unde cum omnis dispositio debeat proportionari forma: & esse ejusdem ordinis cum illa, talia opera nullo modo ad gratiam disponunt. Item sicut non decet munificentiam Dei, opera indifferentia supernaturali premio remunerari, ob improporcionem quam habent ad illud: ita nec decet illum remunerari opera moraliter bona supernaturali premio, quia respectu illius sunt improporcionata. De quo plura diximus in Tractatu de predestinatione disput. 2. artic. 3.

§. VII.

Corollarium notandum dignum.

184 EX dictis inferre contra Vasquez, quod sicut homo in statu nature lapsus potest sine speciali auxilio, ali- quod opus honestum & moraliter bonum efficere, ita & levem aliquam tentationem, per aliquod motivum honestum & moraliter bonum, superare, cum utrobique sit par ratio. Unde in Bullis Pii V. & Gregorii XIII. contra doctrinam Baji editis damnatur ista propositio: Omnes sunt fures, & latrones, qui dicunt tentationi ulli sine gratia Dei adjutorio, resistere hominem posse.

185 Pro majori tamen hujus corollarii intelligentia, Adver- tendum est, tripliciter posse vinci tentationem: Primo, ex pravo fine, ut cum quis vincit tentationem luxurie ex avaritia, aut tentationem gulae ex inani gloria, & hoc modo certum est non esse necessariam gratiam; cum haec non sit bona nec vera victoria. Quoniam carnalis cupiditas, cupiditate alia non sanatur, ut dicit Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 4. Secundo propter Dei amorem, seu ex caritate: & hoc modo certum est non posse tentationem vinci sine gratia auxilio. Unde Hieronymus supra citatus hoc discrimen inter Philosophos & Christianos statuit, quod Philosophi (inquit) vitium vitia, peccatumque peccata medicantur, non amore virtutum vitia superantur. Hinc etiam Augustinus ep. de civit. Dei c. 16. ait: Tunc vitia vitia repellantur, cum Dei amore vincuntur. Tertio potest vinci tentatio ex aliquo motivo & sine honesto: & hoc adhuc dupliciter contingere aut fieri potest: nempe aut cum proventu & lucro animae, ita ut talis victoria ad salutem animae conducatur, & hoc modo etiam certum est necessariam esse gratiam, vel auxilium supernaturalis: aut sine tali proventu, hominem in natura lapsa, sine speciali auxilio gratiae, leves aliquas tentationes vincere ex aliquo motivo honesto & moraliter bono: sicut ex eodem motivo potest aliqua opera honesta & moraliter bona, cum solo generali concursu efficere. Graves autem & difficiles tentationes contra preceptorum naturalium observantiam, absque speciali auxilio, vinci non posse, art. 5. dicemus.

187 Contra hoc corollarium objici possunt primo auctoritates Conciliorum, & testimonia Patrum. Concilium enim Arausicum can. 9. expresse dicit: Divini numeris est, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus; quod profecto facimus, quoties alicui tentationi, quantumvis levi, resistimus. Chrylостomus hom. mil. 24. in 1. ad Corinth. interrogans ad quas tentationes sit necessaria gratia? Respondet, Ad omnes. Theophylactus etiam ibidem ait: Quoniamque tentatio vires nostras exsuperat, nisi Deus auxilietur nobis. Denum D. Prosper contra Cellar. cap. 35. dicit, nec etiam leviores tentationes sine gratia vinci posse.

Secundo objicitur: Non inaniter victoriam tentationum, etiam levium, supplici oratione a Deo postulamus, & pro quavis superata ipsi gratias agimus: Ergo signum est absque speciali auxilio non posse superari.

188 Tertio: Vel tentatio est levis, vel gravis: si gravis, non potest homo cum solo concursu generali ei fortiter resistere: si levis, hoc ipsum est specialis gratia Dei, quia est effectus providentiae specialis, non finiens eam fieri gravem: Ergo ad resistendum tentationi, etiam levi, necessaria est homini gratia specialis, si non interna, saltem externa protectionis & providentiae.

189 Respondendo ad primum, mentem Patrum, & intantum Conciliorum non esse locis citatis negare quomodocumque quod homo lapsus, omni auxilio speciali destitutus vincere possit tentationem, etiam levem, sed solum quod ex motivo caritatis sive in ordine ad salutem, hoc possit. Vel, ut alii dicunt, loquuntur de victoria completa & perfecta, quae pducatur ad veram justificationem, & liberet a peccato. Unde Augustinus ait: Deum esse adiutorem ad gerendam, perfectendamque justitiam; & ideo nos petere hoc, cum dicimus, Et ne nos inducas in tentationem.

190 Addo D. Proserum, loco citato, non loqui de tentationibus absolute levibus, sed quae comparatione facta ad tentationem Job, de qua ibi tractat, leves sunt, quamvis absolute spectate graves sint: alios vero Patres & Concilia, per omnes tentationes, intelligere duntaxat omnes

graves, quia quae leves sunt, quasi nihil moraliter reputantur ab ipsis.

Ad secundum patet responsio ex dictis §. precedenti, in responsione ad similem objectionem.

Ad tertium respondeo primo, quod licet daremus effectum specialis providentiae Dei semper esse, quod levis tentatio non fiat gravis: non tamen inde sequeretur necessarium esse speciale gratiam ad vincendas quascumque tentationes, etiam levem: providentia enim illa specialis solum removeret gravem tentationem, non vero juvaret ad superandam levem.

Respondendo secundo, negando Antecedens: quamvis enim quocumque tempore occurrit tentatio levis, possit occurrere gravis, non tamen quocumque tentatio levis fieret gravis, si Deus specialiter illi non impediret: sunt enim aliquae tentationes, ex impulsu appetitus insurgentes, quae ex ipsa hominis complexione, & aliis causis, natura sua leves sunt & urgentiores esse nequeunt. Ex parte etiam demonis potest accidere quod tentatio sit levis, vel quia ipse negligit causare majorem, juxta illud Gregorii 24. Moral. Quos secures possidet, tenere negligit: vel quia, ut docent Patres, parvipendit illa opera bona, quae non conducunt ad vitam aeternam: in quo sensu idem Gregorius homil. 8. in Ezechiel. ait, Diabolus in nobis solum caritatem rimet.

ARTICULUS IV.

Utrum homo lapsus, vel in puris naturalibus conditus, ad diligendum Deum ut auctorem naturae, dilectione spontanea, innigat speciali auxilio, & quali?

§. I.

Quibusdam praemissa, referuntur sententiae.

189 PRO resolutione hujus difficultatis, ante omnia praemittenda est divini amoris partitio, in naturalem & supernaturalem: cum enim Deus sit auctor naturae, seu bonorum naturalis ordinis, & etiam gratiae, seu bonorum ordinis supernaturalis, & sub utraque ratione sit bonus atque amabilis, sicut & cognoscibilis ab intellectu humano, sub utraque voluntatis humane affectum terminare potest. Unde sicut duplex est religio, una ordinis naturalis, cui praesulget lumen rationis, & qua Deus colitur ut auctor naturae, per actus ejusdem ordinis; altera supernaturalis, cui praesulget lumen fidei, & qua Deus colitur ut auctor gratiae, per actus fidei, spei, caritatis, & virtutum moralium infusarum: ita etiam duplex est dilectio Dei, naturalis, & ex genere suo acquisita, quae per lumen rationis naturalis regulatur, & ad Deum ut auctorem naturae terminatur; altera supernaturalis, & per se infusa, cui praesulget lumen fidei, & qua Deus ut auctor gratiae, & prout est objectum beatitudinis beatitudine supernaturali a nobis diligitur. De quo plura diximus in Tractatu de status naturae humanae disputat. 6. artic. 1.

Deinde observandum est, dilectionem Dei naturalem duplicem esse, unam imperfectam & inefficacem, quae est simplex quaedam complacentia de divina bonitate, quae neque insert media necessaria ad placendum Deo, nec curat amovere impedimenta peccatorum; alteram perfectam & efficacem, quae ex vi sua potens est media ad placendum Deo necessaria inducere, & omnia quae ejus amicitia repugnant excludere. Et haec adhuc duplex esse potest: altera quae parum durat, & simplicem actum voluntatis dicit; qua homo se & omnia sua refert in Deum, cum proposito absoluto & efficaci ipsi placendi in omnibus, & nihil admittendi voluntati ejus contrarium, quod est Deum super omnia appreciative diligere; haecque dilectio actualis & affectiva vocatur: altera quae diu & longo tempore durat, & quae non dicit tantum singularem actum, sed universalem observantiam mandatorum naturalium, consistitque in executione praedicti propositi, ac propterea affectiva & habitualis appellatur. His praesentis.

190 Ut certa ab incertis discernamus, tria ut certa, & ab omnibus fere Theologis admittuntur, supponimus. Primum est, hominem in statu naturae integrae potuisse, cum solo concursu generali, diligere Deum dilectione efficaci, non solum actuali & affectiva, ac per breve tempus durate, sed etiam habituali & effectiva, seu executiva, ac per multum tempus permanente: quia in illo felicissimo statu ex viribus naturae poterat velle, & operari omne bonum morale naturae, & servare omnia precepta naturae, ac vitare omnia peccata contra legem naturae, ut docet Sanctus Thomas hic artic. 4. & patet ex dicendis articulo sequenti.

191 Secundum est, hominem lapsum, vel in puris naturalibus conditum, posse sine speciali auxilio actum inefficacem dilectionis Dei ut auctoris naturae elicere, cum enim hic actus totius legis naturae observantiam non im-

portet, nec difficilis est, nec cum peccato mortali incompossibilis.

Tertium est, hominem lapsum non posse sine speciali auxilio diligere Deum ut auctorem naturae, dilectione efficaci, effectiva, & habituali, ac per multum tempus durate: nam talis dilectio totam legem naturae observantiam importat; homo autem in ista natura lapsus non potest, saltem per multum tempus, omnia precepta naturae servare, & omnia peccata contra legem naturae vitare, absque auxilio gratiae, ut infra dicemus.

192 Nota ergo difficultas devolvitur ad dilectionem efficacem, actuaalem, & affectivam, quae simplicem actum voluntatis dicit, quo homo se & omnia sua refert in Deum, illumque super omnia appreciative diligit. Plures enim existimant hominem lapsum, vel in puris naturalibus conditum, posse ex viribus naturae, & sine ullo speciali auxilio, hanc dilectionem actuaalem & affectivam elicere, ita Scotus, Durandus, Almainus, Cajetanus, & Molina, citati a Curiele hic dubio ultimo. Alii cum Alvarez libro 5. resp. cap. 5. & 6. Martinez hic art. 3. dub. 1. & 2. & id quidem denegant homini lapsus, sed concedunt homini puro, seu in puris naturalibus condito. Alii vero hominem in utroque statu, ad praedictum actum elicendum, speciali Dei auxilio indigere affirmant. Hanc sententiam tenent Curiel, Zúmel, Joannes a S. Thoma, & alii ex nostris Thomistis. Licet autem in auxilio pro ista natura pura requiritur illi convenienti, doceantque illud esse in sua entitate naturalem, est in ordine naturae speciale sit, tamen circa auxilium homini lapsus ad praedictum actum elicendum necessarium, in tres dicendi modos divisi sunt: quibusdam affirmantibus illud esse entitative supernaturalis; aliis contententibus auxilium intra ordinem naturae speciale ad praedictum actum sufficere; aliis vero asserentibus, sufficere quidem auxilium intra ordinem naturae speciale, ut principium eliciens, sed requiri auxilium supernaturalis actualis, & gratiam habituaalem, ut principium expediens ab impedimento peccati, & tollens averfionem a Deo ut ultimo fine.

§. II.

Difficultas quoad utramque partem resolvitur.

Dico primo: homo in statu naturae lapsus non potest viribus liberi arbitrii, & cum solo concursu generali, Deum ut auctorem naturae, dilectione efficaci super omnia diligere.

193 Probatum primo ex D. Augustino Epistola 107. ad Vitalem, ubi ait: Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus. Quibus verbis aperte declarat, robur naturale liberi arbitrii, quod homo in natura integra habebat, ad Deum naturaliter diligendum, per primi parentis peccatum esse perditum; sicque, nisi per gratiam sanetur, hoc in natura lapsa praesentis non posse.

194 Probatum secundo ex S. Thom. hic artic. 3. dicente: Homo in statu naturae integrae non indiget dono gratiae, superaddita naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc cum movetur: sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc, auxilio gratiae naturae sanantis.

195 Respondet Cajetanus, D. Thomam velle solum hominem existentem in peccato non posse diligere Deum super omnia, dilectione illa efficacissima, quae omne peccatum tam veniale, quam mortale, excludit.

Sed contra: Eam denegat Sanctus Doctor homini lapsus dilectionem Dei, quam concedit ipsi possibilem per gratiam sanantem: At dilectio per gratiam sanantem homini possibilis, non excludit omne peccatum tam veniale, quam mortale, saltem de lege ordinaria, sed solum peccata mortalia, pro illo tempore quo elicitur: Ergo negat D. Thomam dilectionem hujusmodi esse possibilem homini lapsus.

196 Respondent alii cum Molina, D. Thomam de ea solum dilectione Dei locutum, quae non est unum actus simplex, sed collectio adimpletionis omnium mandatorum.

Sed haec etiam interpretatio non videtur legitima: Tum quia D. Thomam agit de dilectione hoc modo sumpta artic. 4. sequenti, ubi inquit, Utrum homo sine gratia, per sua naturalia, legis precepta implere possit? Tum etiam, quia ex contextu ipso constat, Sanctum Doctorem sumere dilectionem pro uno simplici actu, ad quem dicit referendam esse dilectionem sui, & omnium aliarum rerum. Ratio etiam quam ibidem insinuat, convincit de amore, ut est unum actus simplex: Voluntas enim hominis lapsi, & in peccato originali, vel personaliter existens, est veluti recurva, & ad bonum privatum & proprium, quod est finis ultimus peccatoris inclinata: Ergo nisi sanetur per gratiam, non potest sui & omnium aliorum dilectionem in Deum referre, ipsamque plus quam bonum proprium & privatum diligere, cum hoc fit supra talem inclinationem curvam & deviam.

Theol. Genet., Tom. IV.

Deinde, dilectio Dei super omnia, perfecta, & efficacis, licet simplex voluntatis actus, est tamen omnium praestantissimus. At licet natura infirma possit aliquid opus efficere, non tamen praestantissimam operationem, quam natura sana & integra poterat exercere: Ergo &c.

Item in efficaci dilectione Dei, conditoris naturae, virtualiter continetur totius legis naturae adimpletio; ut colligitur ex illo Joann. 14. Si quis diligit me, servitium meum servabit; & ex D. Basilio, libro de instit. Monach. cap. 2. dicente: Mandatum istud (scilicet dilectionis Dei) nunquam quidem videtur, sed omnium mandatorum in se virtutem complectitur: At homo lapsus, absque speciali gratia, totam legem naturae adimplere non potest; alias enim natura humana nullo modo per peccatum originale fuisset vulnerata in sua integritate, sed homo lapsus naturam aequae perfectam & integram haberet circa bonum morale ordinis naturalis, ac eam habuit in justitia originali: Ergo homo lapsus non potest, sine gratia, Deum ut auctorem naturae efficaci amore diligere.

Respondent ad hoc Adversarii, quod licet homo lapsus non possit per longum tempus totam legem naturae adimplere, id tamen potest per brevi aliquo tempore; quia per breve aliquod tempus fieri potest, ut nulla occurrat gravis tentatio, nec ullum preceptum difficile, unde potest actum dilectionis efficaci per brevi tempore elicere, sine speciali gratia, est id non possit perseveranter & ad longum tempus.

Verum haec responsio facile potest confutari: Quamvis enim possit contingere, quod brevi tempore quo durat dilectio Dei ut auctoris naturae, nihil occurrat faciendum, vel vitandum, ut tamen dici possit dilectio super omnia, & efficacis quoad affectum, necessarium omnino est, quod virtute illius voluntatis de facto adimpleret mandatum Dei, etiam difficile, si occurreret adimplendum, & tentationi quantumcumque gravi adversus observantiam illam resisteret, si instaret, alioquin enim vel non erit dilectio super omnia, vel certe carebit efficacia quoad effectum: unde in actu efficaci dilectionis Dei, etiam ut pro brevi tempore elicitio, totius legis naturae observantia, etiam per longum tempus, virtualiter continetur; cum talis actus, ut diximus, sit de se sufficiens ad totius legis observantiam per totam vitam imperandam, etiam in praesentia tentationum graviter urgentium. Quare licet tentationes, & impedimenta ad actum dilectionis non semper occurrant subjunctive, quando fit ille actus amoris Dei, bene tamen objective; quia in dilectione Dei super omnia, involvuntur virtualiter omnes tentationes, & impedimenta contra quae firmatur affectus: Ergo si homo lapsus non possit sine gratia omnia precepta legis naturae per longum tempus implere, & omnes tentationes, & impedimenta ad actum dilectionis vincere, neque poterit actum efficacem dilectionis Dei ut auctoris naturae, etiam pro brevi tempore, elicere.

Confirmatur: Licet homo in statu naturae corruptae possit vitare omnia venialia, pro brevi aliquo tempore, tamen impossibile est simpliciter, quod elicit Dei dilectionem super omnia, quae sit efficacis in affectu ad excludenda omnia omnino venialia, sive talis dilectio sit diuturna, sive non; & hoc quia vitare omnia venialia collective, est proprium status beatifici: Ergo similiter, quia implere omnia mandata naturalia collective, & omnes superare tentationes, est proprium hominis sani, & status integritatis, simpliciter impossibile est quod homo lapsus & infirmus eliciat dilectionem Dei super omnia, quae sit efficacis in affectu ad implenda omnia precepta legis naturae, & omnes tentationes vincendas; sive talis dilectio sit diuturna, sive non, sive per longum tempus, sive uno tantum instanti duret.

Confirmatur amplius: De objecto moraliter impossibili, est impossibile etiam moraliter affectus, seu propositum efficacis, nisi parvo tempore durans: At in dilectione efficaci Dei conditoris naturae implicite clauditur efficacis propositum observandi totam legem naturae, perseveranter, & ad longum tempus, quod est moraliter impossibile viribus hominis lapsi, ut ostendimus articulo sequenti: Ergo, &c. Minor est certa: nam de hac dilectione naturali, loquendum est proportionaliter, sicut de dilectione supernaturali caritatis: haec autem implicite claudit efficacis propositum observandi omnia mandata, etiam supernaturalia, pro tota vita; quia de ratione ejus est in affectu nunquam desistere ab amicitia, unde actus caritatis, vel contritionis, ad justificationem disponens, debet esse affectus, vel propositum efficacis deinceps nunquam peccandi: Ergo, &c. Major autem fundatur: De objecto per se impossibili est impossibile efficacis propositum; unde repugnat viribus naturae efficacis appetitus visionis beatificae, ut in Tractatu de visione beatifica ostensum fuit. Item Divus Thomas prima partis quaest. 63. articulo tertio, probat Angelum non potuisse actu efficaci absoluto appetere aequalitatem cum Deo, quia talis aequalitas est impossibilis: Ergo pariter de objecto viribus

nature moraliter impossibili in executione, impossibile est moraliter eidem viribus propositum efficax. Praefertim cum voluntas & intentio dicatur efficax formaliter, in quantum est illativa electionis, & sufficiens ad executionem; efficacia enim causae explicatur penes effectum quem de se potest inducere.

201 Dices: Licet sacerdos non possit consecrare hostiam, vel abolere peccatis, nisi virtute supernaturali, qua ut Christi instrumentum ad parandos illos effectus supernaturales elevatur; potest tamen propriis viribus intendere huiusmodi consecrationem, vel absolutionem. Item licet actualis observantia totius legis usque ad mortem, speciale quoddam auxilium exigit, quod domum perseverantiae appellatur: potest tamen homo, cum auxiliis ordinariis gratiae habere propositum efficax observandi totam legem supernaturalem, usque ad mortem: Ergo ratio illa non valet.

202 Sed contra: Haec exempla non sunt ad rem nec favent adversae sententiae: Non primum quidem, quia in hostiae consecratione, & absolutione sacramentali, est aliquid naturale, scilicet verborum prolatio, quae non superat naturae facultatem, & ad istam terminatur propositum efficax: est etiam aliquid supernaturale, nempe elevatio verborum ad hostiam consecrandam, & gratiam conferendam, quae sicut excedit vim executivam naturae, ita etiam superat vim efficaciter intentivam, & efficaciam hominis propositum non subiacet. Nec faver etiam secundum: nam licet ad actum perseverandi, magnum perseverantiae donum, a communibus auxiliis gratiae distinctum, sit necessarium; ad posse tamen perseverare auxilia generalia ordinis gratiae sufficiunt; intentio autem efficax non petit vires, quibus de facto illius obiectum executioni mandetur, bene tamen exposcit vires, quibus executio obiecti sit possibilis.

Dico secundum: ad dilectionem efficacem Dei ut auctoris naturae, per se loquendo, & quantum est ex parte obiecti, solum requiritur auxilium speciale ordinis naturalis: supposita tamen elevatione ad statum supernaturalem, ad eam requiritur non solum auxilium supernaturale, sed etiam gratia sanctificans.

203 Prima pars patet: Dilectio enim Dei, ut auctoris naturae, est actus entitativae naturalis, cum obiectum naturale respiciat: Ergo per se, & ex praecisa ratione obiecti, solum requiritur auxilium speciale ordinis naturalis: supposita tamen elevatione ad statum supernaturalem, ad eam requiritur non solum auxilium supernaturale, sed etiam gratia sanctificans.

204 Secunda vero suadet: Dilectio Dei naturalis opponitur aversioni a Deo ut fine naturali: Sed in hoc statu elevationis naturae humanae ad ordinem & statum supernaturalem, homo non potest averti a Deo ut fine naturali, nisi consequenter ab ipso ut fine supernaturali avertatur, ut communitur docent nostri Thomistae in Tractatu de peccatis: Ergo ut homo lapsus, & in peccato mortali exiens, Deum ut auctorem naturae diligere possit, indiget per accidens non solum auxilio supernaturali, sed etiam gratia habituali, per quam auferatur peccatum, & obex aversionis a Deo ut ultimo fine tam naturali quam supernaturali removeatur. Unde D. Th. hic art. 3. docet ad dilectionem Dei, ut auctoris naturae, indigere hominem lapsum gratia sanante: nomine autem gratiae sanantis, gratiam habituales intelligit, ut patet ex dicendis articulo sequenti.

205 Quaes, an homo iustus, & gratia sanctificante praeditus, auxilio supernaturali indigeat ad talem dilectionem elicendam?

Respondet affirmativa (quidquid in contrarium dicat Marcus a Sera hic dab. unico) nam est careat impedimento peccati, & aversionis a Deo ut ultimo fine, tamen supposita elevatione naturae humanae ad ordinem gratiae, & cognitione Dei ut auctoris supernaturalis, non potest ipsum amare ut auctorem naturae, nisi simul ipsum ut finem & auctorem supernaturalem diligat: sicut supposita tali elevatione & cognitione, non potest dari aversio a Deo ut conditore naturae, absque aversione a Deo ut auctore supernaturali, neque poni odium auctoris naturae, quod non terminetur aliquo modo ad ipsum ut auctorem gratiae: Ergo cum in homine iusto dilectio Dei supernaturali auxilium supernaturale per se exigit, dilectio naturalis eam per accidens, & concomitantur exposcit.

206 Confirmatur primo, & magis illustratur haec ratio: Ideo in hoc statu homo exiens in peccato mortali, nequit diligere super omnia Deum ut auctorem naturae, dilectione efficaci, sine auxilio supernaturali, quia talis dilectio, & conversio efficax in Deum est opposita aversioni a Deo fine naturali, & ex consequenti aversioni a Deo, ut fine supernaturali: At etiam dilectio naturalis hominis exiens in peccato mortali, est opposita tali aversioni, & quantum est de se destructio illius, licet per accidens, de facto, & in exercitio,

eam destruat, quia subiectum, pro instanti dilectionis, non est conversum ad creaturam, & avertum a Deo: Ergo talis dilectio petit auxilium supernaturale, etiam in homine iustificato.

Confirmatur secundo: Eiusdem speciei est amor efficax Dei ut auctoris naturae, in homine existente in gratia, & in homine existente in peccato: Ergo idem auxilium quoad speciem requiritur ad utrumque; unde si in homine existente in peccato requiritur auxilium supernaturale, etiam requiritur in homine existente in gratia. Utraque consequentia est legitima: Antecedens probatur. Utraque dilectio habet idem obiectum, nempe Deum ut auctorem naturae super omnia dilectum; utraque insuper est conversio efficax, & formalis accessus ad eundem terminum formalem ad quem; utraque est etiam destructiva aversionis oppositae, quae se tenet ex parte termini a quo, licet una de facto eam destruat, non vero alia; quia non invenit subiectum a Deo avertum, quod mere materialiter & subjective se habet, atque adeo extra specificationem existit. Ergo utraque dilectio est eiusdem speciei, & auxilium eiusdem ordinis exposcit.

Confirmatur tertio: Nequit homo, etiam in gratia constitutus, sine auxilio gratiae exequi ea quae requiruntur ad permanendum in amore Dei, & tollere quae impediunt amicitiam erga Deum, etiam secundum quod est auctor & finis naturae. Ergo nequit homo, etiam in gratia constitutus, elicere intentionem efficacem diligendi Deum ut auctorem naturae super omnia sine auxilio gratiae. Consequentia patet ex dictis conclusionibus praecedentibus: Antecedens vero sic ostenditur. Non potest homo in hoc statu elevationis ad ordinem supernaturalem permanere in dilectione & amicitia naturali Dei si non observet omnia praecpta, non solum naturalia, sed etiam supernaturalia: Sed ad hoc petit supernaturalia auxilia: Ergo &c. Minor patet: Major probatur: Violatio praecpti supernaturalis est etiam contra rationem naturalem connexive & indirecte: Ergo peccatum contra praecptum supernaturale indirecte saltem & implicite, contrariatur amori seu amicitiae naturali hominis ad Deum, eamque destruit. Consequentia legitima est, amicitia enim naturalis hominis ad Deum ut auctorem naturae, ratione naturali dicitur & regulatur: Ergo si peccatum contra praecptum supernaturale sit indirecte & connexive contra rationem naturalem, erit etiam indirecte contra amorem seu amicitiam naturalem hominis ad Deum. Antecedens vero suadetur. Ratio naturalis dicitur obediendum esse cuiuscumque superiori legitime praecipienti, supposita cognitione mandati, & viribus sufficientibus ad illud exequendum: Ergo supposita revelatione mandati Dei legitime praecipientis, quatenus est supremus legislator supernaturalis, & suppositis viribus ad exequendum, etiam ratio naturalis dicitur, indirecte saltem & ex consequenti, esse obediendum huic superiori sic praecipienti: Ergo violatio praecpti supernaturalis, est (indirecte saltem, implicite, & ex consequenti) contra illud dictamen universale naturae, dicens esse obediendum cuiuscumque superiori legitime praecipienti.

Dices cum aliquibus recentioribus Thomistis: In homine & Angelo beato reperitur dilectio Dei naturalis, ut docet D. Thomas prima parte q. 62. art. 7. Ergo a fortiori homo iustus in statu gratiae, eandem dilectionem habere poterit, si enim illa nihil includit repugnans statui gloriae, nihil etiam includit quod repugnet statui gratiae. Respondet concedendo totum, non enim negamus in homine iusto reperiri posse dilectionem Dei naturalem, sicut in homine, & Angelo beato, sed dicimus ad illam elicendam requiri per accidens auxilium supernaturale, ratione conjunctionis quam habet in statu elevationis, cum dilectione Dei supernaturali; & quia homo sine auxilio gratiae nequit exequi ea quae requiruntur ad permanendum in amore Dei, neque tollere quae impediunt amicitiam erga Deum, etiam secundum quod est auctor & finis naturae, ut antea exposuimus.

Instabis: Licet quotiescumque homo operatur ex caritate infusa, elicat actum supernaturalem, non tamen cogitur semper operari ex illa caritate, est enim habitus, quo utitur quando vult: Ergo potest ex sola inclinatione naturali, Deum ut principium & finem naturae diligere. Respondet hominem quidem posse ex sola inclinatione naturali Deum ut principium & finem naturae diligere, dilectione imperfecta & inefficaci, quae est simplex quaedam contentivitas de divina bonitate & pulchritudine, ut in creaturis & operibus Dei naturalibus relucet, quae nec inferi media necessaria ad placendum Deo, nec curat removeere impedimenta peccatorum; non tamen dilectione perfecta & efficaci, quae ex vi sua potens est media ad placendum Deo necessaria inducere, & omnia quae ejus amicitiae repugnant excludere: haec enim dilectionem non potest homo etiam in gratia constitutus; sine auxilio supernaturali elicere, cum sine auxilio gratiae non possit exequi ea quae requiruntur ad permanendum

dum in amore Dei, & tollere quae impediunt amicitiam erga Deum, etiam secundum quod est auctor & finis naturae, ut in tertia confirmatione ostensum est.

Dico tertio: Homo in pura natura constitutus non potest cum solo concursu generali, Deum ut naturae auctorem efficaciter amare super omnia diligere, etiam pro brevissimo tempore: non indigeret tamen, ad talem amorem elicendum, auxilio supernaturali, sed solum auxilio speciali naturalis ordinis.

209 Prima pars huius conclusionis sequitur ex principiis assertionis prima statuta: Ibi enim in primis ostendimus, juxta D. Thomam, hominem lapsum non posse ex viribus naturae, & cum solo concursu generali Dei, actum efficacis dilectionis Dei ut auctoris naturae, etiam pro brevissimo tempore, elicere, quia voluntas hominis lapsi est veluti recurva, & ad bonum privatam & propriam eodem modo sequeretur bonum privatam: Ergo eodem modo esset impotens ad diligendum Deum ut auctorem naturae, efficaci dilectione. Major patet ex supra dictis: Minor vero suadetur. Quod homo lapsus sequatur bonum privatam provenit ex eo quod appetitus interior inclinatur in bonum sensibile absque freno rationis: At in puris naturalibus homo haberet eandem inclinationem extraneam ad bonum sensibile contrarium rationi; cum in statu naturae pure pars inferior non esset perfecte subiecta & subordinata superiori, sed talis subordinatio & subiectio homini solum in statu integritatis conveniret: Ergo in statu naturae pure voluntas hominis eodem modo sequeretur bonum privatam, ac in statu corruptionis.

Deinde ibidem monstravimus, in efficaci dilectione Dei, ut auctoris naturae, etiam ut pro brevi tempore elicita, totius legis naturae adimplentionem, etiam per longum tempus, virtualiter contineri: At homo in statu naturae pure non potest, cum solo concursu generali, totam legem naturae adimplere, saltem per longum tempus, ut articulo sequenti patebit: Ergo nec efficacem dilectionem Dei ut auctoris naturae elicere, etiam pro brevissimo tempore. Adde quod talis dilectio, cum sit actus omnium perfectissimus & praestantissimus, solius naturae integrae & robustae videtur proprius. Denique cum non majores fuissent vires naturae humanae ad operandum bonum morale, in statu naturae pure, quam sint in statu naturae lapsae, ut in Tractatu de habitibus naturae humanae disp. 4. art. ultimo ostensum est, sequitur quod si homo in statu naturae lapsus non potest cum solo concursu generali, Deum ut naturae auctorem efficaci dilectione amare, id etiam non potuisset in actu naturae pure.

210 Secunda pars assertionis patet etiam ex supra dictis: Homo enim in statu naturae lapsus ad dilectionem efficacem Dei ut auctoris naturae, per accidens indiget auxilio supernaturali, ob elevationem naturae humanae ad ordinem & finem supernaturalem: Ergo cum in statu naturae pure non esset talis elevatio, neque etiam erat ad illum actum elicendum indigentia talis auxilii.

211 Tertia vero sequitur ex praecedentibus: Nam homo in natura pura teneretur, & possit diligere Deum super omnia: Sed ad hoc non haberet auxilium supernaturale, neque sufficeret generalis concursus, ut iam ostendimus: Ergo requireret auxilium speciale ordinis naturae.

Confirmatur: Observantia & executio omnium mandatorum pereret speciale auxilium in illo statu naturae pure: Ergo & intentio efficax illam virtualiter continens & causans.

Confirmatur amplius: Actus ille efficacis dilectionis Dei ut auctoris naturae, esset perfectissimus, & summus intra ordinem naturae: Ergo ad sui elicendum auxilium speciale ordinis naturae exposceret. Consequentia illa sufficienter patet ex supradictis.

§. III.

Principia objectiones solvuntur.

212 Obijcies primo contra primam conclusionem, D. Thomas 1. p. q. 60. art. 5. ad 5. in Angelo peccante admittit dilectionem naturalem Dei super omnia: & in 2. disp. 33. q. 2. art. 2. ad 5. illam etiam admittit in animabus puerorum in Lybmo existentium; & tamen illi per culpam originalem a Deo, etiam ut auctore naturae, aversi sunt; sicut & Adamus peccando a Deo auctore naturae manifeste aversus: Ergo efficax dilectio Dei ut auctoris naturae, cum peccato potest componi, subindeque propriis naturae viribus elicet.

213 Respondet duplicem dari posse amorem Dei super omnia, & utrumque esse naturalem, licet diversimode: unum a voluntate ut natura esse procedentem, quo Deus necessario quoad specificationem ut bonum universale totius creaturae diligitur, quia prout sic odio haberi non potest: alterum qui est a voluntate ut potentia libera &

electiva, quo Deus amore electivo & libero, ut amicus & universalis legislator amatur: qui amor non ideo naturalis dicitur, quia necessarius, sed quia terminat naturalem appetitum, & quia circa obiectum naturale. Deum scilicet ut conditorem naturae. versatur. Quando ergo S. Thomas locis citatis, in Angelo peccante, & animabus puerorum in Lybmo existentium, admittit naturalem Dei dilectionem super omnia, loquitur de prima dilectione, quam fatemur cum peccato posse componi, & solis naturae viribus elicet: non vero de secunda, de qua solum in praesenti disputamus. Adde quod hic agimus de amore benevolentiae: amor vero Dei, qui in Demonibus a D. Thoma ponitur, non est amor benevolentiae, sed concupiscentiae: cum enim Demones necessitentur ad diligendum seipsum, & nequeant proprium esse diligere, nisi diligant esse Dei, per quod proprium sustentatur & conservatur, necessitantur ad diligendum Deum amore concupiscentiae, in quantum est bonum commune totius universi, & in quantum proprium ipsum esse ab esse Dei dependet, ut declarat S. Doctor 1. p. q. 63. art. 1. ad 3. his verbis: *Naturale est Angelo quod concorsatur motu dilectionis in Deum, secundum quod est principium naturalis esse, &c.*

214 Obijcies secundo: Homo lapsus potest solus naturae viribus patrem, filios, amicos, & falsos deos, pluraque seipsum, atque adeo, super omnia diligere: cum variis exemplis constet multos pro illis morti se obijcisse, & majorem caritatem nemo habeat (ut loquitur Scriptura) quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: Ergo multo magis poterit ex solis viribus naturae Deum, quem naturali lumine cognoscit esse magis diligendum, super omnia diligere, & pro ejus gloria velle mori, & de facto morti se tradere.

215 Respondeo primo negando Antecedens, & ad ejus probationem dico, eos qui pro falsis diis, vel suis haereticis, aut patria, vel filiiis, aut amicis, morti sese obtulerunt, lamam, aut gloriam, vel quid simile in voluntaria illa vite iactura quaesivisse, sicut non plus dilexerunt praedicta, quam seipsum. Unde Augustinus lib. de patientia cap. 17. ait: *Quemque iniquorum tanto esse ad quoscumque mala personarum duriores, quanto in eo major est cupiditas mundi, & quemque iustorum tanto esse ad quoscumque mala personarum fortiores, quanto in eo est major caritas Dei.* Et rursum: *Quanto major est in sanis caritas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur, omnia toleraverunt; & quanto major est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo quod concupiscuntur, omnia toleraverunt; ac per hoc ipse est patientia vera iustorum, unde est in eis caritas Dei, & inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi.*

Respondet secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam; quamvis enim homo possit diligere plura quam se aliudque bonum creatum, non sequitur quod etiam possit diligere Deum: non solum quia Deus est magis eparatus a bonis sensibilibus, quae efficaciam nos movent, sed etiam eo quod dilectio boni creati non possit let quod relinquatur omnia peccata mortalia, quae etiam connumerantur inter bona quae pertinent ad ipsum hominem; quia motivum propter quod committitur, est aliquid bonum appetitus; dilectio vero Dei super omnia, & efficax, nullum peccatum mortale, sive actuale, sive habituale, sive originale compatitur.

Ad illud quod additur, nimirum intellectum posse naturaliter cognoscere Deum esse super omnia diligendum, subindeque voluntatem, quae est appetitus rationalis, ductum seu dictamen rationis sequens, posse solis naturae viribus ipsum supra quodlibet aliud diligere, dicendum est, quod licet intellectus possit speculando ad talem notitiam devenire ex principiis naturalibus, non potest tamen habere iudicium practicum & prudentiale, in statu corruptionis, quod iudicat Deum esse hic & nunc super omnia diligendum, nisi speciali auxilio Dei adjuvetur; quia, ut art. 1. ostendimus, homo per peccatum originale magis est vulneratus in intellectu practico, quam in speculativo, & magis impotens ad prosecutionem boni, quam ad cognitionem veri, juxta illud Poetae: *Viduo meliora, probaque, deteriora sequor.*

Ad aliud quod subditur, negandum esse posse aliquid, in peccato mortali remanentem, velle in seipso mori pro Deo, quia implicat quod aliquis maneat in peccato, & tamen praestet Deum omnibus aliis rebus; quod tamen facit qui vere vult pro ipso mori, cum vita sit omnium bonorum corporum maximum. Unde licet illa verbo tenus diceret se velle mori pro Deo, in rei tamen veritate tolerantiam mortis ad seipsum, vel ad bonum proprium ordinaret, incipiendo illud specialiter querere vel in gloria & commendatione apud homines: vel in evitacione miseriarum huius vel alterius vite. Nec obstat quod D. Thomas quodl. 4. q. 10. art. 1. doceat etiam illum qui caret caritate posse pati martirium; loquitur enim de martirio improprie & materialiter sumpto, prout dicit solam tolerantiam mortis, non vero de vero & proprie dicto martirio, pro Deo seipsum tole-

tolerato, nam s. i. qu. 124. art. 1. ad 2. expresse docet, quod martyrismum est actus charitatis ut imperantis, fortissimè autem ut elicientis.

Dixi vero, aliquem in peccato mortali remanentem, non posse seipsa velle mori pro Deo: quia si peccator mortem tolerando, non excludat ejus relationem in Deum, nec eam ordinet ad bonum proprium, ut ad ultimum finem, justificabitur vi martyrii, ut probabiliter docetur in materia de baptismo, & adepta gratia sanctificante, poterit exire in actum dilectionis Dei super omnia.

18 Objicies tertio: Si homo in statu nature lapsæ non possit sine gratia diligere Deum ut auctorem nature, sequitur quod talis dilectio non sit naturalis, sed supernaturalis. At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, ille enim actus ad quem requiritur gratia, est supernaturalis.

19 Respondeo negando sequelam Majoris, ad cuius probationem dico, actum ad quem gratia requiritur per se, & per modum principii elicitivi illius, esse supernaturalem; secus vero si gratia exigatur tantum per accidens, & tanquam removens prohibens: gratia autem per se non requiritur ad dilectionem efficacem Dei ut auctoris nature, sed tantum per accidens, ratione elevationis nature humane ad ordinem supernaturalem, ac conjunctionis finis naturalis cum supernaturali, & ad tollendum obicem peccati & averfionis a Deo ut ultimo fine, sicut assertione 2. declaravimus.

20 Objicies quarto: Si homo in statu nature lapsæ non possit, nisi cum auxilio supernaturali diligere Deum auctorem nature, sequitur quod in eo statu minores habeat vires in ordine ad bonum morale, quam habuisset in statu nature pure: Sed hoc dici nequit, ut in Tract. de statibus nature humane disp. 4. art. ult. ostensum est: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Homo in statu nature pure, cum auxilio speciali ordinis naturalis, poterat hanc dilectionem elicere: Ergo, si in statu nature lapsæ ad eam elicendam indiget auxilio supernaturali, erit minus potens in hoc statu quam in illo.

21 Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem dico, quod licet homo in statu nature lapsæ indiget auxilio supernaturali ad elicendam dilectionem efficacem Dei ut auctoris nature, hoc tamen non arguit ipsum in tali statu habere minores vires, quam habuisset in statu nature pure; quia hoc non provenit ex defectu potentie, quæ per auxilium speciale ordinis naturalis in ordine ad talem dilectionem sufficienter completur; sed ex elevatione nature humane ad ordinem supernaturalem, ut conclusione secunda exposuimus.

22 Dico: ex hoc sequitur quod homo etiam in statu innocentie non potuit diligere Deum ut auctorem nature, sine auxilio supernaturali: Sed hoc est contra D. Thomam hic art. 3. ubi ait, quod homo in statu nature integra (quem status innocentie includebat) non indigebat dono gratia supernaturalis, sed ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc cum morientis, Ergo, &c. Sequela Majoris probatur. Homo in statu innocentie de facto fuit ordinatus in finem supernaturalem. Ergo si ex elevatione nature humane in finem supernaturalem, homo in natura lapsa indiget auxilio supernaturali ad prædictam dilectionem, eo quoque egebat in statu innocentie.

23 Respondeo concedendo sequelam Majoris: cum enim homo in statu innocentie, propter elevationem ad ordinem supernaturalem, & conjunctionem finis naturalis cum supernaturali, non possit implere omnia præcepta naturalia, & vitare omnia que impediunt amicitiam naturalem cum Deo, sine auxilio supernaturali ad observantiam mandatorum supernaturalium requisito; non poterat etiam, sine eodem auxilio, actum efficacis dilectionis Dei ut auctoris nature efficere. Unde ad probationem in contrarium dicendum est, D. Thomam ibi loqui de statu nature integre, præfivo sumpto, & secundum id quod ex propriis assert donum integritatis, subdicens appetitum interiorum superiori; non vero de illo adæquate sumpto, & prout reipsa fuit cum iustitia originali, & gratia habituali, subindeque cum elevatione ad ordinem supernaturalem conjunctus: nam sub hac ratione non minus auxilium supernaturale ad actum dilectionis efficacis Dei ut auctoris nature exposcebat, quam status innocentie. seu originalis iustitiæ. Potest etiam dici, D. Thomam loco cit. solum excludere a statu integritatis necessitatem auxilii supernaturalis, sanatis naturam, quod requiritur in natura lapsa, non tamen negare necessitatem auxilii supernaturalis, eam elevantis ad ordinem supernaturalem.

Solvuntur alia argumenta ex statu nature pure de sumptis.

Contra tertiam conclusionem, in qua diximus hominem in pura natura constitutum non posse, cum solo concursu generali, Deum ut nature auctorem efficaciter diligere, in primis objici potest auctoritas D. Thomæ hic art. 3. in argum. Sed contra, & quodlib. 1. art. 8. assertentis, secundum quosdam hominem fuisse constitutum in solis naturalibus, Denique super omnia dilexisset. Quod etiam insinuare videtur hic art. sequenti ad 3. dicens: Præceptum de dilectione Dei non potest homo implere ex puris naturalibus, secundum quod ex caritate impletur.

Respondet Curiel ex Conrado, D. Thomam per hominem constitutum in solis naturalibus intelligere hominem conditum cum integritate nature, que proveniat a iustitia originali: cum enim talis integritas non fuerit donum entitative supernaturale, inter naturalia computatur, subindeque cum illa recte potest dici homo constitutus in solis naturalibus, quia nihil habet quod non sit naturale.

Sed hæc interpretatio non videtur legitima, nec ad mentem S. Thomæ: nam si per hominem constitutum in puris naturalibus intelligeret hominem cum integritate naturali, non diceret: Homo in solis naturalibus constitutus fuit, ut a quibusdam ponitur, cum ipsemet a S. Doct. 4. part. q. 95. art. 1. docet primum hominem fuisse conditum cum integritate nature, proveniente a gratia & originali iustitia.

Melius ergo respondetur, D. Thomam in illis locis loqui de puris naturalibus, per exclusionem donorum supernaturalem, non vero per exclusionem gratuitorum intra ordinem nature: unde solum intendit, quod homo in statu nature pure potest diligere Deum ut auctorem nature, absque auxilio entitative supernaturali, non tamen negat quod indigeret ad talem dilectionem, & alios actus eximios & difficiles auxilio speciali intra ordinem nature, ut nos asserimus.

Objicitur secundo, & est præcipuum adverfæ sententiæ fundamentum: In puris naturalibus homo teneretur, præcepto naturali, Deum nature auctorem super omnia diligere: At sine potentia non stat obligatio, cum ex Tridentino sess. 6. cap. 11. Deus impossibilia non jubet: Ergo potest in tali statu actum dilectionis efficacis elicere: At non per gratiam, cum status nature pure omnem gratiam excludat: Ergo ex solis nature viribus, & cum solo generali concursu. Minor & consequentia patent: Major vero suadetur ex D. Thomæ 1. 2. qu. 94. art. 2. ubi docet ad legem naturalem pertinere omne id ad quod homo inclinatur secundum suam naturam: At homo ex sua natura inclinatur ad Deum auctorem nature super omnia diligendum: Ergo naturali lege ad talem dilectionem tenetur. Unde egregie Ciprianus ferm. de bat. Christi: Iustum est (inquit) Dominæ ut diligamus te, hoc natura, hoc ratio, hoc verbi tui clamor auctoritas. Clamat quippe natura amandum esse creatorem; clamat ratio redamandum esse amatorem.

Respondeo posse hominem in statu nature pure Deum ut nature auctorem super omnia diligere, non quidem per auxilium ordinis supernaturalis, neque cum fologenerali concursu, sed per auxilium speciale ordinis naturalis, quod Deus in tali statu offerret, quando urgeret obligatio præcepti dilectionis, hoc ita exigente providentia sue suavitate, qua homini in nullo statu impossibilia præcipere potest. Nec status nature pure omnem gratiam specialem excluderet, sed solum gratiam supernaturalem entitative, vel naturalem per modum habitus & forme permanentis, qualis foret gratia sanans naturam, eamque integram integritate pura naturali constituens, ut in Tractatu de statibus nature humane ostendimus disp. 3. art. 1. Potestque hoc argumentum retorqueri in Adverfarios: homo enim in statu nature pure, non solum teneretur, præcepto naturali, Deum, ut auctorem nature diligere super omnia, sed etiam toto tempore vite in tali dilectione perseverare; & tamen certum est, & fatetur ipsi Adverfarii, quod id non possit in tali statu præstare cum solo concursu generali, sed indigeret ad perseverandum speciali auxilio ordinis naturalis: quod ergo illi dicunt de perseverantia in amore, nobis de ipso dilectionis actu dicere licet.

Objicitur tertio: D. Thomam hic art. 3. ex eo probat hominem in statu nature lapsæ indigere gratia ad diligendum Deum ut auctorem nature, quia ratione culpe mansit inclinatus ad bonum privatum: At in pura natura nulla esset culpa convertens, & inclinans hominem ad bonum privatum: Ergo in eo statu non indigeret gratia ad diligendum Deum ut auctorem nature, sed id posset præstare cum solo generali concursu.

Con-

29 Confirmatur primo: In illo statu nulla esset infirmitas: Ergo homo in eo posset quidquid poterat in statu integritatis: At homo in natura integra, cum fologenerali concursu, Deum ut nature auctorem diligere poterat: Ergo & id posset in statu pure nature.

30 Confirmatur secundo: In statu nature pure non esset in homine nisi ea que consequuntur ex intrinseca nature: Sed ab intrinseco nature oriri nequit aliud in homine, ipsum impediens a consecutione finis, ad quem ab intrinseco inclinatur natura: Ergo in statu nature pure nihil esset hominem impediens a dilectione Dei, ut auctoris nature, & ultimi finis naturalis consecutione.

31 Confirmatur tertio: Si aliquid illum impediret a tali actu, maxime rebellio appetitus: At hæc non ponit impotentiam moralem ad illum: Ergo &c. Probatur Minor: In homine lapsa, justificato per gratiam, manet rebellio appetitus gratie sanctificantis est potens moraliter ad istam dilectionem: Ergo rebellio concupiscentiæ, & pugna appetitus interioris contra superiorem, non est sufficiens ad inducendam impotentiam moralem in ordine ad illum actum.

Ad objectionem respondeo, D. Thomam ad probandum hominem in natura lapsa indigere gratia ad diligendum Deum ut auctorem nature, recurrere ad peccatum inclinans & convertens voluntatem hominis ad bonum privatum; quia homo supponebatur ante culpam in statu integritatis, in quo poterat Deum ut auctorem nature super omnia diligere; & ideo peccatum fuit de facto causa impotentie moralis ad talem dilectionem, ut removens iustitiam originalem, ex qua natura sanitas & integritas proveniebant: in natura vero pure, cum non supponatur sanitas, necesse non est recurrere ad peccatum, infirmitatem inducens, & voluntatem ad bonum privatum inclinans & convertens.

Vel secundo dici potest, D. Thomam recurrere ad peccatum, ut probaret necessitatem gratie specialis intra ordinem nature, quam solum in statu nature pure necessariam esse dicimus ad dilectionem Dei ut auctoris nature, & ad alios actus eximios & valde difficiles.

33 Ad primam confirmationem dicendum, quod homo in natura pure non fuisset infirmus privative aut positive, sed negative; quia licet tunc fuisset propensus ad bonum privatum, talis tamen inclinatio non traxisset originem a peccato, sed ab intrinseco hominis constitutione, ex partibus habentibus inclinationes oppositas, nimirum ex rationali & sensitiva compositi, ut in Tract. disp. 6. art. 1. & 2. de statibus nature humane, agendo de statu nature pure, declaravimus. Unde

34 Ad secundam, nego Minorem, quando natura est talis conditionis, quod gaudet duplici inclinatione contraria; tunc enim una aliam retardat, & impedit ne possit consequi suum terminum & finem conaturalem, nisi adjuvetur speciali auxilio. Nam in ipso homine est appetitus naturalis, quo vivere appetit, & mortem refugit; & tamen est in illo inclinatio, contraria ratione materie, qua ad corruptionem tendit, & ratione cuius necessario corrumpitur.

35 Ad tertiam nego similiter Minorem. Ad cuius probationem negandum est Antecedens, quantum ad secundam partem: cum enim gratia habitualis in hoc statu via non faceret pericula hominem, neque illi restituit integritatem naturalem; quam per peccatum primi parentis amisit, sed reliquit interiorem & superiorem; & pugnam inter appetitum interiorum & superiorem; ad amertum & profectum vite spiritualis, adhuc indiget confortamine; & auxilio superaddito, ut in actu dilectionis Dei ut auctoris nature exeat; quod auxilium in statu nature lapsæ, ratione elevationis ad ordinem supernaturalem, & conjunctionis finis naturalis cum supernaturali, per accidens debet esse supernaturale, ut in secunda conclusione diximus.

36 Objicitur quarto: Homo habet naturalem inclinationem ad diligendum Deum super omnia, ut docere videtur D. Thomam hic art. 3. & late probat Victoria in relect. de homicidio num. 10. Ergo si crearetur in puris naturalibus, posset cum solo concursu generali, & sine auxilio gratie, reducere in actum hanc inclinationem, elicendo actum dilectionis Dei ut auctoris nature. Consequenter probatur: Tum quia alius inclinatio illa esset frustra, siquidem nullo modo posset reduci in actum, cum status nature pure, auxilia gratie, que ad id essent necessaria, excluderet: Tum etiam, quia inductione constat, nullam esse inclinationem ad actum naturalem, quo nullo modo posset per vires nature reduci in actum. Unde Theologi probant in Tractatu de visione beata, non dari in homine inclinationem naturalem ad beatitudinem supernaturalem, quia talis inclinatio non esset reducibilis ad actum, viribus nature, & a Deo ut dante talem inclinationem.

37 Respondeo dato Antecedente, negando Consequentiam. Ad cuius probationem dicendum, quod ut inclinatio in-

dita ab auctore nature non sit frustra, sufficit quod possit reduci in actum per vires, & auxilia ordinis naturalis (sive illa sint generalia, sive specialia intra illum ordinem) absque recurfu ad ordinem gratie. Unde cum homo in statu pure nature, mediante auxilio speciali ordinis naturalis, Deum ut auctorem nature possit diligere, & ad hoc non indigeret auxilio gratie, naturalis inclinatio ad diligendum Deum, quam haberet in illo statu, non esset otiosa & frustranea: Ex quo patet disparitas ad exemplum quod adducitur, inclinatio enim naturalis ad beatitudinem supernaturalem, neque per auxilia communia ordinis naturalis, neque per auxilia intra illum ordinem specialia, potest reduci in actum, id eoque sine auxilio gratie illa esset vana & frustranea. Dixi dato antecedente, quia Curiel, & quidam alii existimant, inclinationem & appetitum naturalem in homine non esse ad diligendum Deum ut auctorem nature, in seipso expresse & in particulari, sed solum ad amandum bonum universale & in communi, & Deum, ut consuevit & implicite sub tali bono universali contentum.

Triâ corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferes primo contra aliquos Recentiores, quod est in statu nature lapsæ daretur homo qui in solo originali existeret, ille non posset, sine auxilio gratie, Deum ut nature auctorem efficaciter diligere: nam, ut supra ostendimus, impotentia ad elicendum actum dilectionis efficacis Dei ut auctoris nature, provenit in homine ex propensione quam habet ad bonum privatum, & imbecillitate ac impotentia ad exequendum ex viribus nature omnia que in illa dilectione virtualiter continentur: Sed talem propensionem & impotentiam haberet homo in solo originali existens: Ergo ille Deum ut auctorem nature efficaciter amore non posset diligere, absque speciali auxilio. Adde quod, licet in peccato originali non sit positiva conversio ad creaturam, bene tamen positiva averfio a Deo, etiam ut auctore nature, ut alibi ostendimus: Sed hæc averfio non potest non esse maximum dilectionis Dei ut auctoris nature impedimentum. Ergo, &c.

Inferes secundo, quod est aliquis ignoraret invincibiliter se esse in peccato mortali personali, non posset tamen, absque speciali auxilio, Deum ut auctorem nature, efficaciter diligere, quia ille pariter esset inclinatus & propensus ad bonum privatum; & impotens ad exequendum ex viribus nature omnia que in dilectione efficacis Dei ut auctoris nature virtualiter includuntur.

Inferes tertio, ad amorem concupiscentiæ Dei ut auctoris nature, sufficientem ad imperandam totius legis nature adimpletionem, necessarium esse auxilium speciale: quia etiam in tali actu virtualiter continetur observantia totius legis naturalis, que sine speciali auxilio, in statu nature lapsæ poni nequit; ut articulo sequenti patebit.

ARTICULUS V.

Utrum homo lapsus indigens speciali gratia, & quali, ad observanda omnia præcepta naturalia efficiat, quantum ad substantiam operis.

Præmittuntur que fere apud omnes sunt certa, & referuntur sententiæ.

Suppono primo tamquam certum, hominem in nullo statu posse implere præcepta supernaturalia virtutum Theologicarum, sine gratia: cum enim actus illarum virtutum sint supernaturales quantum ad substantiam, nequeant elici per vires nature. Unde D. Thomas supra q. 63. art. 2. ad 2. dicit: Sane quædam peccata mortalia que homo sine gratia nullo modo potest vitare, que scilicet directe opponuntur virtutibus Theologicis.

Suppono secundo, hominem in omni statu indigere gratia, ad implenda præcepta naturalia quantum ad modum, ut scilicet ex caritate, & meritorie ac fructuose ad vitam æternam ea adimpleat: cum enim modus ille sit supernaturalis, & actus virtutum naturalium elevet ad ordinem & finem supernaturalem, manifestum est, illum sine gratia & caritate, que est forma virtutum, illisque confert vim præcipuum merendi æternam felicitatem, non posse poni in nostris actibus. Quod autem distinctio de observantia præceptorum quantum ad substantiam, & quantum ad modum, admittenda sit, patet tum etiam ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. profcribentium 58. Bani propositionem, qua assererat hujusmodi distinctionem esse commentitiam & exploendam. Ratio

Ratio enim suffragatur: Licet enim caritas cadat sub precepto sigillatim & in particulari, secundum tamen quod est finis ultimus cuiuscumque precepti, non cadit sub precepto, quia ut communitur dicitur, *finis precepti non cadit sub precepto*: Ergo modus operantis, scilicet quod ex caritate implet preceptum, est extra substantiam operis precepti, & per consequens stare potest impletio & opus preceptum quoad substantiam, sine tali modo, & distinguendo impletio precepti quoad substantiam, & quantum ad modum.

243 Suppono tertio contra Vasquez hic disp. 13. cap. 2. & disp. 193. cap. 3. hominem in statu nature integrae, sine ullo auxilio gratiae, & cum solo concursu generali, potuisse adimplere totam legem naturalem quoad substantiam operum: Probatur tum auctoritate D. Thomae hic art. 4. id expresse docentis; tum etiam ratione ex dictis articulo precedenti desumpta: Nam, ut ibidem cum eodem S. Doctore docuimus, homo in natura integra, ex vi precepti domi integritatis, & cum auxilio generali, Deum ut auctorem nature efficaci & perfecta dilectione amare poterat: Ergo ex vi eiusdem integritatis, eodem generali concursu adjuvato, omnia mandata naturalia poterat observare. Consequentia patet: dilectio enim efficaci, ut ibidem ostendimus, totius legis adimplentem virtualiter continet.

244 Confirmatur primo: Homo in statu nature integrae, ex vi domi integritatis, esset reclusus, & circa Deum finem nature ordinatus: Ergo etiam ratione tantum illius domi, & absque nova gratia speciali, esset ordinatus & reclusus circa media ducentia in talem finem. Antecedens est certum: Consequentia probatur. Ordinatio enim circa finem, ex se insert & assert ordinationem circa media in suo ordine, unde quia gratia & caritas ordinant hominem ad Deum, ut finem supernaturalem, caritas, secundum D. Thomam, insert & assert ad intrinsecum virtutes morales infusus, quibus homo ordinatur in actu primo circa media supernaturalia.

245 Confirmatur secundo: Ideo Concilia, & Patres infra citandi, negant hominem lapsam, sine speciali gratia, posse totam legem naturae servare, quia natura est infirma & debilitata per peccatum originale: At in statu integritatis natura hominis non erat debilis & infirma, sed sana & robusta: Ergo in illo statu poterat ex vi integritatis, & absque ullo speciali auxilio, totam legem naturae adimplere.

246 Confirmatur tertio: In statu innocentie non poterat infringere graviter tentatio ex suggestione demonum contra precepta naturalia; cum suggestio ex deceptio vel errore exordium habeat; durante vero statu innocentie nullas (saltem circa naturalia) poterat esse error vel deceptio, ut in Tractatu de status nature humanae offensum fuit disp. 1. art. 4. Ergo homo in illo statu, talia precepta, ex vi domi integritatis, absque ullo speciali auxilio, observare poterat.

247 Dices: De facto primi parentes fuerunt ab extrinseco tentati a serpente ad comedendum de ligno vitæ: Sed preceptum non comedendi de ligno vitæ, non erat supernaturale, sed naturale; Ergo possibilis erat illi statui tentatio ab extrinseco contra precepta naturalia.

Respondet precepta naturalia esse duplicis generis; quædam indita, & quasi cum natura innata, qualia sunt precepta Decalogi; alia positiva & extra legem naturalem innatam, cuiuscumque fuit preceptum de non comedendo de ligno vitæ, primis parentibus impostum. Quando ergo dicimus hominem in statu innocentie non potuisse tentari ab extrinseco de transgressione preceptorum naturalium, loquimur de preceptis naturalibus primi generis, quia circa illa non poterat esse error vel ignorantia practica in intellectu ejus, non vero de aliis. Unde Adam potuit tentari a serpente, vel ab uxore, ad comedendum de ligno vitæ, & ad resistendum hæc tentationi indigebat speciali auxilio, quod (ut docet D. Thomas 1. 2. q. 94. art. 4. ad 5. & q. 18. de verit. art. 6. ad 13.) ipsi deest, quia ad illud impetrandum per orationem ad Deum recursum non habuit. Et idem tenent verba illa, quæ habentur tom. 3. Conciliorum, pag. 51. editionis Parisiensis anni 1636. nam ibi columna 6. sic ait: *illa prima conditionis integritas, dum in deo se habet, nunquam ipso qui considerat non egerit, nec de preceptis agit gratias, quod nunquam factis memoratur, nec de conservandis quas sumptuæ possit auxiliam, nec ad eam, cuius pulsata tentationis accessu, devota currit & consulto, suscipit se credit inter prospera voluntati, scilicet sine precepto Creatoris prout deceptoris insidias, & in prævaricationem iracundia consequenter illicitis, conditionem profusa mortis invenit.*

248 Denique patet ex dictis art. 3. posse hominem in statu corruptionis aliqua legis naturalis precepta, sine speciali gratia observare; cum, ut ibi ostendimus, possit cum solo concursu generali aliquando efficere bonum aliquod opus, undequaque honestum, & nulla prava circumstantia vitiatum: Sit quamvis illud non esset possibile, non

sequeretur inde nullum præceptum sine speciali gratia posse impleri; cum per actum aliqua mala circumstantia vitiatum, aliquando præceptum aliquod particulare impletur, v. g. præceptum misericordie, per elemosynam datam ex vana gloria. Quod igitur in questionem vertimus, non est de uno aut altero legis naturalis precepto, sed de omni collective, non ut meritorie sit, sed secundum substantiam præcepto. In cujus resolutione res præcipue versantur sententia.

Prima docet, posse hominem in statu nature lapsæ, absque speciali auxilio, omnia precepta legis nature, sub mortali obligantia, quoad substantiam observare, est quoad charitatis modum, & prout ad salutem & justificationem conducens, eadem implere nequeat: per quod a Pelagio, & ipsius reliquiis, se satis recedere existimat. Pro hac citari solent Scotus in 2. dist. 28. q. 1. Gabriel ibid. q. 1. art. 2. Durandus q. 3. & 4. & Abulensis in cap. 19. Matthæi q. 177. & 178.

Secunda asserit hominem lapsum id posse præstare sine gratia habituali & sanctificante, non tamen sine actuali & auxiliante. Ita Vasquez hic disp. 169. cap. 3. pro ea plures ex antiquioribus Theologis referens.

Tertia, quæ est communis in Schola Divi Thomæ, & quam plures ex extraneis amplectuntur, ad observanda omnia precepta naturalia collective, utramque gratiam, tam habitualement, quam actualiorem, necessariam esse affirmat.

§. II.

Sententia Scoti rejicitur.

Deo primo. Homo in statu nature lapsæ non potest 250 totam legem naturæ quoad substantiam observare, sine speciali gratia, ita D. Thomas hic art. 4. ubi id probat in argumento *sed contra* ex D. Augustino lib. de hæresibus, hæresi 88. ubi oppositum ad hæresim Pelagii pertinere his verbis asserit: *Et Dei gratia totum inimici sunt, ut sine hac posse hominem creatum facere omnia divina mandata. Qui error in variis Conciliis proscribitur, præsertim in Milevitano can. 3. 4. & 5. ubi anathema dicitur ei qui dixerit hominem indigere gratia solum ad facilius, & non ad simpliciter implendam legem. Et in Araucano 2. can. 23. ubi sic habetur. Hoc Deo præstante, & prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullas possit, aut diligere Deum sine oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, nisi gratia eum & misericordia divina præveniat.*

Neque dici potest, hæc & similia Conciliorum & Patrum testimonia intelligi debere de impletione preceptorum supernaturalium, vel de observantia naturalium fructuosa, & meritoria vite æternæ. Nam Concilia & SS. Patres loquuntur de indigentia gratiæ ad implendam mandata, specialiter respectu hominis lapsi, & dicunt eam provenire ex infirmitate nature, & liberi arbitrii debilitate, ut patet ex verbis Araucanicis jam relatis: At indigere gratiæ ad implendam præcepta supernaturalia, & ad observanda naturalia quantum ad modum, seu meritorie & fructuose, non est quid speciale & proprium homini lapsæ, cum etiam homo in natura integra ad id impotens esset ex propriis, neque oritur ex lapsu & infirmitate hominis, sed ex supernaturalitate actus precepti, aut meriti vite æternæ: Ergo hæc interpretatio non est legitima, nec menti Conciliorum & SS. Patrum consentanea.

Confirmatur: Aliquid speciale dicitur, juxta communem sensum & intelligentiam, de observantia omnium preceptorum collective, quod non dicitur de impletione unius vel alterius precepti divisivè: Sed nihil speciale esset in Conciliis, si tantum loquerentur de impletione preceptorum supernaturalium, vel de observantia legis naturalis fructuosa & meritoria; cum ad implendum unicum preceptum supernaturale, & ad observandum minimum mandatum legis nature fructuose, & meritorie, gratia necessaria sit, ut omnes fatentur: Ergo non est sermo tantum de impletione preceptorum supernaturalium, vel de observantia naturalium fructuosa, & meritoria vite æternæ, sed etiam de observantia totius legis nature quantum ad substantiam.

Confirmatur amplius: Pelagius non solum erravit, 253 asserendo posse hominem per proprias vires totam legem adimplere, comprehendendo supernaturalia precepta, vel naturalia, prout ad salutem proficua; sed etiam eo quod existimaverit, ipsum posse ex viribus liberi arbitrii totam legem nature collectivè adimplere, ut constat ex Patribus Africanis in Epistola ad Innocentium, quæ est qo. apud Augustinum, ubi sic habetur: *ipsi autem, (scilicet Pelagiani) asserunt in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem hominis infirmitatem, creaverique naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posse implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in literis datam &c.* Ubi

Ubi stare in utroque errasse Pelagium ad his Patribus docetur: At Conciliorum scopus erat ipsius errorem penitus extirpare: Ergo illa non solum intendebant frangere necessitatem gratiæ ad observanda precepta supernaturalia, vel naturalia, prout ad salutem proficua, sed etiam ad implendam totam legem nature quantum ad substantiam.

254 Potest etiam suaderi conclusio ex dictis art. precedentibus: Nam tota lex nature conclusit omnia mandata naturalia, a primo usque ad ultimum: Sed homo lapsus non potest sine auxilio gratiæ observare primum omnium mandatorum, nimirum preceptum dilectionis Dei ut auctoris nature, sicut articulo precedenti ostendimus: Ergo nec totam legem nature.

254 Confirmatur: Intentio efficacis ultimæ finis, virtualiter continens omnium mandatorum observantiam, speciale Dei auxilium requirit, ut ibidem monstravimus: Ergo & a fortiori ipsius executio, seu totius legis naturalis adimpletio; non enim minor, immo major apparet difficultas in executione dilectionis efficacis, quam in ejus intentione & affectu.

255 Confirmatur amplius: Homo infirmus non valet ex propriis viribus efficere actum perfectissimum hominis sani, ut ibidem diximus, & ratio naturalis suadet: At opus perfectissimum, quod homo integer & sanus ex propriis viribus efficere poterat, erat totius legis naturalis observantia, quantum ad substantiam operis, cum quoad modum supernaturalem conducenda ad salutem, in statu sanitatis & integritatis, speciali gratia indigeret, ut suppositione 2. ostendimus: Ergo homo lapsus ex propriis viribus non potest adimplere totam legem nature quantum ad substantiam.

§. III.

Solvuntur objectiones.

256 Contra hanc conclusionem plura solent objici Scripturæ testimonia, quæ ei videntur adversa ut illud Deuter. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque præter postum, nec in calo sciam.* Quibus verbis insinuat Moyses, legem quam nomine Dei intima Hebræo populo, non esse supra naturales ipsius vires. Item illud Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, adject mandata & præcepta sua si volueris mandata servare, conserva bovat te.* Quibus etiam verbis aperte significatur, esse positum in voluntate uniuscujusque, digna servare mandata. Unde Augustinus, vel Auctor libri Hypognosticon, lib. 3. prope initium: *Quid est (inquit) quod reliquit eum in manu consilii sui, nisi dicitur eum in potestate liberi arbitrii sui? in manu enim possibilitatis intelligitur.* Denique Apostolus ad Rom. 2. ait: *Genes qui legem non habent, naturaliter quæ leges sunt faciant.* Ergo ex Scriptura homo lapsus, totam legem nature sine speciali gratia observare potest.

Ad primum locum alii respondent, Moysen non loqui de facilitate servandi totam legem, tam moralem, quam caremonialem, de qua agit, sed præcisè de facilitate eam cognoscendi; ita ut sit sensus, Judæos non potuisse executionem prætere de super ignorantiam legis, quandoquidem non debebant celum ascendere, aut mare transire, ad eam cognoscendam, cum ipse eam clare & evidenter promulgaret. Sed licet hæc explicatio sit gravissimum Auctorum, ut Lyranus, Abulensis, Bellarmini, & aliorum, non videtur tamen legitima, nec textui consona, manifeste loquenti etiam de facilitate servandi legem, ut patet ex verbis quæ immediate sequuntur post adducta: *Ut deseras illud ad vos, & audiamus, & operi impleamus.* Adde quod Moyses non conclusisset omnem viam executionis: potest enim Judæi responderi, quod licet notitia legis esset facilis, difficultas tamen esset, & forte impossibilis ejus adimpletio.

258 Melius ergo respondetur, Moysen locum adducto solum intendere, præcepta legis esse in potestate hominis, non ut operantis ex solis viribus nature, sed ut moti & adjuvi divina gratia, quæ cor interius pulsat, cum lex interius auribus insonat. Solutio est D. Thomæ hic art. 4. ad 2. ubi sic ait: *illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi in 3. Ethic. Quæ per amicos possumus, aliquantulum per nos possumus.* Et art. 6. ad 2. *Cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo.* Non ergo absolute homo potest, sed homo adjuvatus & motus a Deo per auxilium gratiæ, quod quæ in prompta est, & omnibus offertur ad observandam legem mandatum dicitur non esse supra, sed juxta nos.

259 Infatis: Sit ut aliquod homini juste præcipi possit, sufficit quod illud cum Dei auxilio potest præstare, sequitur Deum posse imperare claudu ut ambulet, & cæco ut videat, quia hæc per speciale Dei auxilium fieri possunt.

Dea negatur sequela: quis cæco deest potentia physica 260 ad videndum, unde non est cæcus illius perceptus, nisi resistita per miraculum potentia; quod miraculum non est illi oblatum, & quasi in promptu: At vero voluntas infirma habet potentiam physicam ex parte libertatis ad volendum bonum, & solum illi deest ratione infirmitatis & corruptionis nature, potentia morali & expedita, quam per auxilium Dei, quod per ipsam offertur, & veluti in promptu est, habere potest.

Ad secundum locum eodem modo responderi potest sicut ad præcedentem: vel dici cum Auctore libri Hypognosticon, loco citato, Scripturam loqui de primo homine in statu innocentie, in quo fuit a Deo conditus, & in quo habebat liberum arbitrium omnino sanum, per gratiam & justitiam originalem. Unde postquam ille Auctor dixit, quod per hæc verba, *reliquit eum in manu consilii sui*, non aliud intelligitur, quam, reliquit eam in possibilitate sui arbitrii, addit: *ipsa possibilitas est prima gratia, quæ primus homo sibi posuisset, si servare mandata Domini voluisset, quæ per inobedientiam destituitur, factus est serpens, id est Diabolo, cui malum obediare quam Deo, captivus.*

Ad tertium dicendum, hunc locum Apostoli non de tota lege, sed de facillioribus preceptis intelligendum esse.

Obijcies secundo: Præcepta legis nature, cum sint naturalia, vires nature non excedunt: Ergo ad illa implenda gratia necessaria non est.

Respondet distinguendo Antecedens: Non excedunt vires nature, sanæ & integre, concedo Antecedens: infirma & corrupta, nego Antecedens, & Consequentiam; Cum enim natura humana per peccatum originale lesa sit in naturalibus, indiget gratia sanante ad perfectissimas ordinis naturalis operationes exerceudas, quales sunt totius legis nature impletio, & dilectio Dei ut auctoris nature, quæ de se insert omnium aliorum preceptorum observantiam, & eam habet adjunctam, quando illa durat.

Obijcies tertio: Qui potest singula præcepta adimplere, potest omnia collectivè: At homo lapsus potest singula præcepta legis nature sine speciali gratia observare: Ergo & omnia.

Respondet primo Minorem esse falsam: nam homolapsus non potest sine gratia observare primum & maximum mandatorum legis nature, nimirum preceptum dilectionis Dei ut auctoris nature, sicut articulo precedenti ostendimus. Plures etiam non improbabili existimant, esse alia præcepta naturalia ita difficilia, ut ab homine lapsæ, & in peccato mortali existente, absque speciali gratia adimpleri nequeant, qualia sunt præcepta remittendi injurias, ac inimicos diligendi; & orandi pro illis: propter quod Auctor infirmis imperfecti homin. 13. in Matth. dixit: *Qui pro inimico suo orat, gratia eius exquiratur*: item castitatem servandi, vehementer urgente tentatione & occasione. Unde Sapient. 8. dicitur: *sciri quoniam dicit non possum esse castitatem, nisi Deus det.*

Respondet secundo, data Minor, negando Majorem, 263 cujus falsitas constat ex dictis supra, agendo de cognitione veritatum naturalium, & infra, agendo de venialibus, apertius patebit.

Dices: Præcepta Decalogi sunt tantum decem: supponamus ergo quod homo servaverit novem, quæro utrum possit servare decimum, vel non? Si primum, poterit observare omnia præcepta collectivè. Si secundum, non poterit observare omnia divisivè.

Respondet primo negando suppositum, nempe hominem posse ex viribus propriis servare omnia præcepta Decalogi, usque ad ultimum; nam quando dicimus illum posse servare omnia præcepta divisivè, sensus est, illum posse hoc vel illud, & quodcumque designabile in particulari observare, cum morali tamen necessitate de facili in aliquo vage & indeterminate, necessitate, inquam, proveniente non ex parte objecti trahentis, per modum nature, sed ex infirmitate potentie per peccatum debilitate.

Respondet secundo, dato etiam & non concessio, quod ita posset homo usque ad ultimum præceptum decem, tunc in eo deficeret, quia licet habeat potentiam proportionatam & expeditam respectu illius solitarie & divisivè sumpti, non tamen respectu illius, ut conjuncti cum aliis, & ut terminantis totam preceptorum naturalium collectionem sicut supra art. 1. diximus de veritatum naturalium cognitione.

Obijcies quarto: Deus ut auctor nature non præcipit 264 aliquid ad cujus observantiam ut auctor nature non possit hominem perducere: Sed ut auctor nature præcipit homini observantiam legis naturalis: Ergo ut auctor nature potest ad eam hominem perducere, & per consequens ad observandam legem naturalem homo non indiget auxilio supernaturali.

Respondet distinguendo Majorem: Deus ut auctor nature non præcipit aliquid, ad cujus observantiam ut Auctor

Deo naturæ hominem præducere non possit, absolute, & nulla facta suppositione, concedo Majorum: per accidens, & facta aliqua suppositione, nego Majorum: & concessa Minori, distinguo Consequens distinctione Majoris. Sensus distinctionis est, quod quævis Deus, ut auctor nature, subindeque naturæ supernaturali, possit, absolute loquendo, & nulla facta suppositione, tribuere homini auxilia necessaria ad observantiam legis nature, sicut de facto pluribus concessisset, si hominem in statu nature puræ condidisset: ex suppositione tamen quod natura humana sit elevata ad statum supernaturalem (in quo statu observantia legis naturalis includit indirecte observantiam legis etiam supernaturalis, ut articulo precedenti conclus. 5. declaravimus) non est opus quod Deus, præcise ut auctor nature, possit tribuere omnia auxilia, ad legis naturalis observantiam necessaria, sed sufficit quod id possit præstare, vel ut auctor nature, vel ut auctor supernaturalis; præsertim quia supposita elevatione nature humane ad statum & finem supernaturalem, Deus etiam ut auctor supernaturalis, indirecte præcipit homini observantiam legis naturalis, cum hæc ad supernaturalem, ut ad finem & consummationem, ordinatur.

§. IV.

Sententia Vasquez resellitur, & quæ gratia ad totam legem nature observandam necessaria sit, declaratur.

Dico secundo: Ad totius legis nature observantiam necessaria est in homine lapsio gratia habitualis, non solum consequenter, & ex parte termini, sed etiam antecedenter, & ex parte principii.

265 Prima pars probatur primo ex Concilio Milevitano supra citato can. 3. ubi sic habetur: Placuit ut quicumque dixerit, gratiam Dei, quæ justificamur per Jesum Christum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjuvandum, ut non committantur, anathema sit. Ubi nomine gratia quæ justificamur, si proprie, ut debent, verba accipiuntur, non gratia auxiliana, quæ dispositivè ad justificationem concurrunt, sed gratia habitualis, per quam formaliter justificamur, & in filios Dei adoptamur, ut intelligi debet. Unde Patres ejusdem Concilii Epist. 95. apud Augustinum, hæc gratiam dicunt esse quæ Christiani & filii Dei sumus. Et infra: Quæ prædestinatio vocamus, justificamur, & glorificamur. Item D. Thomas hic art. 4. ait: In statu nature corruptæ non potest homo implere omnia mandata divina, sine gratia sanante, quæ gratia justificans est.

267 Potest etiam eadem pars hæc ratione probari. Impossibile est esse ordinatum circa media, & non circa finem, quia media propter finem eliguntur, & intuitu ejus: At sine gratia sanctificante & caritate, nullus est bene ordinatus in Deum ultimum finem: Ergo sine illa nullus potest in statu nature esse bene ordinatus erga media, quæ sunt præcepta, nec per consequens sine illa omnia mandata naturalia observare.

268 Conferatur ratio ad posteriori. Nusquam homo in peccato exiens totam naturæ legem implevit: Ergo sine gratia a peccato sanante, totius legis nature adimpletio possibilis non est. Quod argumentum usus est D. Hieronymus adversus Pelagianos dialog. 1. ut probaret non posse hominem sine gratia auxiliante totam legem observare.

269 Secunda etiam conclusio pars ratione laudatur: Homo ininitus & inensurus Deo, non est aptum & conveniens subiectum, cui Deus conferat tantum beneficium, quale est auxilium cumulus, quæ ad totius legis naturalis observantiam requiruntur. At nisi gratia habitualis & justificans in subiecto præcedat, homo est in statu inimicitie: Ergo necessaria est habitualis gratia antecedenter ex parte subiecti, ut constitutus illud in statu congruo, ad hoc quod Deus impertiat ei gratias auxiliantes, ad totius legis observantiam necessarias.

270 Confirmatur: Homo per culpam duas infirmitates contraxit: alteram in mente, per averfionem a Deo; alteram in parte inferiori, quæ deordinata a subiectione ad rationem remanet: incongruum autem videtur, quod pars inferior per auxilia actualia parti superiori subiciatur, nisi prius ista per gratiam habituales fuerit sanata, & Deo ut ultimo fini per caritatem subiecta: Ergo, &c.

271 Dico tertio: In homine lapsio ad totius legis nature observantiam, præter gratiam habituales, necessario requiritur specialis gratia auxilians; quæ quidem per se, & attenda rei natura, debet solum esse specialis intra ordinem nature, sed supposita hominis ad ordinem supernaturalem elevatione, per accidens debet esse entitative supernaturalis.

272 Probatur prima pars: Impotentia moralis ad totius legis nature observantiam in homine lapsio, & in peccato mortali existente, non solum provenit ex defectu subiectionis mentis ad Deum ut ultimum finem, sed etiam ex

rebellionem & signa appetitus inferioris contra rationem: At licet gratia habitualis mentem Deo ut ultimo fini subiciat, rebellionem tamen appetitus inferioris contra superiorem non tollit, sed eam ad agendum, & meritum, ac profectum vitæ spiritualis, in nobis relinquit, ut docet Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali, & experientia satis ostendit: Ergo in homine lapsio ad totius legis nature observantiam, præter gratiam habituales, seu justificantem, gratia actualis, seu auxilians, necessaria requiritur.

273 Quod vero talis gratia, per se, & attenda rei natura, non debeat esse supernaturalis entitative, sed sufficiat quod sit specialis intra ordinem nature, patet: Nam totius legis nature observantia ex aliquo motivo honesto naturali, est entitative naturalis: Ergo per se exposcere nequit principio proxime elicente, gratiam auxiliantem entitative supernaturalem. Quod autem, supposita natura humane ad ordinem supernaturalem elevatione, per accidens illam exigat, patet ex dictis articulo precedenti §. 2. agendo de dilectione Dei naturali, ubi id ex professo probavimus; unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetamus.

§. V.

Præcipua objectiones solvantur.

Obijciunt primo contra secundam conclusionem: Pelagius non erravit negando necessitatem gratiæ habitualis ad totius legis nature observantiam, sed solum negando necessitatem gratiæ actualis ad illam implendam: Ergo Concilia ipsius errorem damnantia, non habituales, sed actualis gratiæ necessitatem ad legem nature observandam aliterant. Consequentia videtur legitima. Antecedens vero probatur ex dictis in Tractatu de heresi Pelagiana, in qua Pelagium, gratiam habituales, seu remissionem peccati agnovisse, contra Suarez iuste ostendimus disp. 1. art. 2. conclus. ultima.

274 Respondeo negando Antecedens: Pelagius enim gratiam tam habituales quam actualis necessitatem ad legem nature observandam sustulit, dum asseruit divina mandata viribus liberi arbitrii posse servari, per hoc enim omnis gratiæ necessitas excluditur. Unde ad probationem dicendum, quod licet ille gratiam habituales, seu remissionem peccatorum agnovisset, non tamen ut necessitatem ad legis observantiam, ac prout Concilia, dum ipsius errores proferunt, non solum actualis, sed etiam habituales gratiæ necessitatem ad legem nature observandam aliterant.

275 Obijciunt secundo: Totius legis nature observantia est opus naturale entitative: Ergo pro sui principio gratiam habituales nequit exigere. Antecedens est certum, Consequentia vero probatur. Nam eo ipso quod actus pro sui principio, formam entitative supernaturalem exposcat, excedit facultatem nature, & consequenter in sua entitate supernaturalis est.

276 Respondeo concessio Antecedente, distinguendo Consequens; pro sui principio gratiam habituales nequit exigere, per se tamquam principium elicentis, concedo: ex suppositione peccati, & ut principium expediens, seu removens culpæ impedimentum, nego. Vel secundo distinguo Consequens; nequit exigere gratiam habituales, ut principium sui physicum, concedo: ut principium morale, removens ab homine statum positivè indignitatis respectu auxiliorum gratiæ, quæ ad totius legis nature observantiam requiruntur, nego. Hæc solutiones patent ex dictis probando secundam partem conclusionis.

277 Obijciunt tertio: Gratia habitualis, cum intra ordinem supernaturalem se habeat per modum nature, non est ad operandum, sed ad efficiendum, nec movet potentias animæ ad suos actus elicendos, sed dumtaxat animam sanctificat, & mandat a macula peccati: unde quantumvis homo sit sine peccato, & gratia habituali exornatus, debilis est ad boni operationem, nisi auxilio actuali & sancta cogitatione moveatur, & adjuvetur: Ergo gratia necessaria ad legis nature observantiam, non est habitualis sed actualis, in sancta cogitatione & pia voluntatis motione consistens.

278 Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam; nam per peccatum duas infirmitates contraximus; alteram in parte superiori, per averfionem a Deo ut ultimo fine; alteram in parte inferiori, per inobedientiam & rebellionem ipsius ad superiorem: & ratione utriusque debiles ad operandum remanent. Cum enim vires voluntatis ad bene operandum erga media, ex affectu ad finem sanantur, consequens est, ut parte superiori a Deo per peccatum averfa, languentem ac deficientem voluntatis vires ad recte operandum, & ad observanda divina mandata: unde ut fortis reddatur, debet tolli averfio a Deo ut ultimo fine, quæ non nisi per gratiam habituales auferri potest. Quare licet gratia habitualis non præparetur tamquam virtus per se & necessario adjuvans ad observanda naturalia præcepta, exigitur tamen ut removens probi-

prohibens dilectionem Dei per quam voluntas firma redditur ad operandum, & ut constituit subiectum habile & congruum; ut conaturaliter ipsi dentur auxilia ad continuum legis observantiam necessaria, sicut in probatione secundæ partis conclusionis declaravimus.

§. VI.

Corollaria notata digna.

279 EX dictis inferes primo, hominem conditum in puris naturalibus non posse viribus suæ nature observare omnia præcepta legis naturalis: nam in illo statu patetur eandem rebellionem appetitus sensitivi contra rationem, quam patitur in statu nature corruptæ; solumque est discrimen, quod rebello in illo statu haberet rationem conditionis naturalis; in hoc vero habet rationem pene, vulneris, & acritudinis.

280 Inferes secundo, Deum homini constituto in illo statu datum fore auxilium, quod possit observare totam legem naturalem: quia ad suavitatem divine providentiæ pertinere, non relinquere hominem tam imperfectum, ut non possit observare totam legem nature, solumque finem naturalem consequi, ut in Tractatu de status nature humane declaravimus disp. 6. art. 2. in resp. ad 5. objecl.

281 Inferes tertio, hujusmodi auxilium esse quidem speciale intra ordinem nature, hominique in tali statu indubitum; sed esse naturalem quantum ad suam entitatem & substantiam: tum quia in illo statu nihil esset entitative supernaturale: tum etiam quia in statu nature lapsæ, per accidens requiritur auxilium entitative supernaturale ad diligendum Deum ut auctorem nature, & observanda omnia præcepta naturalia, ratione scilicet elevationis nature humane ad finem supernaturalem: in statu vero puræ nature homo ad talem finem non esset elevatus, sed Deum ut auctorem nature, tamquam finem ultimum respiceret.

In quinto articulo hujus questionis D. Thomas docet non posse hominem sine gratia vitam æternam mereri. In sexto, ut se præparet ad habituales gratiam, non indiget ulteriori dono habituali, bene tamen auxilio gratiæ morientis: ut autem meritorie operetur, gratia habituali egere. In septimo, non posse hominem sine habitu gratiæ a peccato refurgere. Quorum articulo rum explicationem præmittimus, quia infra quæst. 113. & 114. de his agetur.

ARTICULUS VI.

Utrum homo lapsus sine gratia possit diu non peccare mortaliter contra præcepta naturalia?

282 Licet constet ex dictis articulo precedenti gratiam esse necessariam ad legem nature implendam: quia tamen non est omnino idem implere præcepta, & non peccare; cum observatio præceptorum includat positivam operationem elicitam ab homine, non peccata vero præcise solum importet cessationem ab acta malo, ad quam non tantum requiritur sicut ad positive operandum, ideo adhuc superest resolvendum, an gratia sit necessaria ad non peccandum contra præcepta legis nature? Unde articulus octavus hujus questionis, in quo S. Doctor querit, Utrum homo sine gratia possit non peccare? non est superfluous, nec coincidit cum quarto, ubi querit, Utrum homo sine gratia, per sua naturalia, legis præcepta implere possit?

283 Addit Curial, in observantia præceptorum duplicem reperiri difficultatem, unam veluti objectivam, quæ provenit ex objecto, & propria gravitate ipsorum præceptorum; & de hac disputat S. Thomas art. 4. aliam proveniente ex continuatione & diurnitate temporis, de qua agit art. 8. Licet enim nulla fiat expressa mentio in titulo hujus articuli, de longitudine temporis, virtute tamen explicatur, cum absoluitur, queritur, Utrum homo sine gratia possit non peccare? hoc enim non potest intelligi nisi de longo tempore, cum in brevi non occurrant multa peccata vitanda. Hoc præmissio.

284 Circa propositam difficultatem tres versantur præcipue Auctorum sententiæ. Prima est: homo sine ullo auxilio speciali gratiæ, posse omnia peccata naturalia contra legem nature evitare. Ita Scorus, Gabriel, & Durandus, articulo precedenti citati. Secunda docet hominem lapsum diu non posse vitare omnia peccata naturalia contra præcepta naturalia, sine auxilio gratiæ ordinis naturalis, solum licet quadam bona cogitatione, bene tamen sine gratia habituali & sanctificante. Ita Vasquez hic disp. 196. cap. 3. Tertia ad hoc non solum, requirit gratiam auxiliantem, sed etiam sanctificantem & sanantem naturam. Ita D. Thomas hic art. 8. & tertio contra Gent. cap. 160. & de verit. qu. 24. art. 12. ejusque Discipuli: licet Cajetan in commentario hujus articuli dicat hominem lapsam, qui nescit se esse in peccato mortali, neque assi-

cur ad illud, non per se, sed per accidens, ex ignorantia invincibili, posse diu vitare peccata naturalia.

§. I.

Triplex conclusio vera sententia statuitur.

Dico primo: Homo in statu nature lapsus non potest ex viribus nature diu vitare omnia peccata naturalia, quæ sunt contra legem naturalem.

Hæc conclusio in primis probari potest ex supra dictis: Nam, ut ostendimus articulo precedenti, homo lapsus non potest ex viribus nature diu implere totam legem naturalem: Ergo neque diu vitare omnia peccata naturalia contra legem nature. Consequentia patet: Ideo enim homo peccat, quia non adimplet præcepta: Ergo si non potest diu propriis viribus servare totam legem naturalem, neque potest ex eisdem diu vitare omnia peccata naturalia contra legem nature.

286 Confirmatur: Si homo lapsus posset propriis viribus vitare omnia peccata naturalia contra præcepta naturalia, ex eisdem posset Deum auctorem nature super omnia diligere dilectione efficaci: Sed hoc non est dicendum, ut artic. 4. probavimus: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet; nam qui vitat omnia peccata, propter nullum recedit a Deo, & per consequens amat illum super omnia dilectione efficaci.

287 Deinde suaderi potest conclusio ratione D. Thomæ hic art. 8. & 3. contra Gent. cap. 160. Homo in statu nature corruptæ habet multa tam intrinseca, quam extrinseca, provocantia ipsum ad peccandum, nimirum rebellionem appetitus, tentationem demonum, & societatem pravorum hominum, qui suis exemplis & consiliis inducunt nos ad peccatum; & aliunde corruptio corporis terreni, & distractio circa res mundanas, & ad vitam necessarias impedit continuum vigiliam & attentionem mentis, juxta illud Sapient. 9. Corpus quod corruptum, aggravat animum, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: Ergo non potest viribus suæ nature, & sine auxilio gratiæ, resistere omnibus, adeo nec vitare omnia peccata naturalia.

Dico secundo: ut homo in statu nature lapsus diu vitet omnia peccata naturalia, quæ sunt contra legem nature, non sufficit auxilium supernaturale transiens, quod per modum motionis confertur, sed requiritur etiam gratia justificans: unde homo in mortali exiens, peccata diu vitare non potest.

288 Hæc conclusio probatur in primis iisdem testimoniis & rationibus, quibus confirmatis aliterio de observantia præceptorum naturalium probata est articulo precedenti. Deinde suaderi ratione D. Thomæ hic art. 8. quæ sub hæc forma proponitur potest. Ut homo possit diu vitare omnia peccata naturalia, necesse est quod habeat cor suum firmatum in Deo, ita ut pro nullo bono consequendo; vel malo vitando, ab eo separari velit: At qui est in peccato mortali; & gratia ac caritate privatus, non habet cor suum hoc modo firmatum in Deo, sed ab eo potius averfuit & conversum ad creaturam tamquam ad ultimum finem: Ergo omnia peccata naturalia diu vitare non potest. Minor patet: Major vero dupliciter a D. Thoma probatur. Primo a simili: sicut enim inferiori appetitu non totaliter subiecto rationi, non potest fieri quin contingant motus inordinati in ipso, & in hujusmodi motibus peccata venialia; ita etiam ratione non subdita Deo, & non firmata in illo tamquam in ultimo fine, non potest fieri quin motus contingant inordinaciones, & peccata in ipsis actibus rationis. Unde Prosper lib. 5. de vocat. gent. cap. 2. Voluntas mutabilis quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius appropinquat iniquitati, quanto citius intenditur alii.

289 Secundo probatur eadem major ratione: cum enim hæc vita multa occurrant mala quæ formidamus, & bona desiderabilia ad quæ allicimur, nisi homo habeat cor suum firmatum in Deo, recedit ab eo propter consequenda bona, vel mala vitanda, contentendo præcepta ipsius, & peccat mortaliter.

290 Confirmat hoc D. Thomas, ex eo quod in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, & secundum habitum præexistente, ut dicit Philosophus 3. Ethic. cap. 8. Ergo qui non habet cor suum firmatum in Deo, sed ab eo averfuit, & ad bonum commutabile conversum, eligit quod est consonum fini quem habet. Hæc consequentia patet: nam mens communiter eligit illud ad quod homo magis inclinatur, nisi per discursum & præmeditationem rationis ab illo sine abducat per contrarium sollicitudinem: unde cum hanc sollicitudinem habere continue, sit impossibile, & non possit homo semper esse in tali præmeditatione, non potest etiam diu permanere, quin operetur secundum inclinationem voluntatis deordinatæ a Deo, nisi cito per gratiam & caritatem ad debitum finem reparatur: ut constat exemplo ipsius Davidis; qui commissio adulterio, statim addidit homicidium. Unde L. Gregorius